


S U L L A  
I N S E N S I T I V I T À  
E D  
I R R I T A B I L I T À H A L L E R I A N A  
O P U S C O L I  
D I V A R J A U T O R I  
R A C C O L T I  
D A G I A C I N T O B A R T O L O M E O F A B R I  
Fisico Chirurgo  
P A R T E S E C O N D A  
Nella quale si contengono tutte le cose opposte  
al sistema del Chiarissimo  
S I G N O R H A L L E R.



I N B O L O G N A M D C C L V I I .

---

Per Girolamo Corciolani, ed Eredi Colli a S. Tommaso d'Aquino.  
C O N L I C E N Z A D E' S U P E R I O R I .

# DOMINICI VANDELLII

*PHILOSOPHI AC MEDICI*

## EPISTOLA

*De sensibilitate Pericranii, Perioftit, Medula,  
Dura Meningis, Cornea, & Tendinum.*

# ANTONIO VANDELLIO

PATRUELI SUO

S. P. D.

**B**inx a te epistolæ in eamdem ferme sententiam redditæ mihi sunt, altera VI Calendas Januarii, altera prid. Calendas Martii, quibus de partium aliquarum *insensibilitate* in animalibus viventibus, meum judicium, atque experimenta postulabas. Jam respondissem, nisi permolestæ occupationes me invitum alio avocassent. Sed ecce adsum, tuæ petitioni satisfaciendo, probandoque vetustis auctoritatibus, observationibus, atque meis quibuscumque experimentis, partes illas ab aliquibus Celeberrimis Viris insensibilis inventas, sentire, quæ sunt Pericranium, Periostium, Medulla, Dura Meninx, Cornea, & Tendines.

2. Antequam ad experimenta deveniam, tria sunt animadvertenda: Primum est: Quod parva spatia indiscriminatim per omnes corporis partes inveniuntur, quæ, quia nervis carent, fere insensibilia existunt. Secundum: Quod Homo haud raro fert dolorem absque ullo doloris signo, quod etiam in brutis animalibus accidit. Tertium: Quod ab *insensibilitate* aliquoties observata, certe deducere non possumus ita rem naturaliter esse.

3. Ad primum quod attinet, dico, totum animalis corpus instar retis contextum esse nervis, non vero totum corpus esse nervum, quia hic, illicque inter nervum, & nervum parva spatia a nervis vacua remanent, hæc autem spatha non semper ejusmodi sunt, neque semper eodem in loco) quæ absque sensu doloroso vulnerare possimus. Cutis enim, quamvis maxime sensibilis sine ullo dolore traiici acu, vel aculeo potest. Hujuscemodi experimenta olim Florentiae Homo pinguis in semetipso faciebat, cum longam acum per duos

duos digitos in propriam abdominis cutim nullo dolore infligeret. Id Praeclarissimus Puccinus Anatomiæ Lector saepius suis discipulis comemorabat. In hac urbe etiam anno 1752 quidam Circulator erat, qui inter musculum masseterem, & bucinatorem acu cutim traiiciebat, nullo, ut ajebat, dolorifico sensu affectus. Quod ut probe intelligas a perforatis spatiis, quæ nervis privabantur, contingebat. Quapropter si pungamus, irriteremusque, aut acu traiiciamus spatia illa parva nervis destituta, ibi nullus excitabitur dolor in hominibus, ac nullum sensus signum a brutis animalibus dabitur. Nam, ut in his sensus signa appareant, dolorem adesse oportet (1). Itaque ad sensus signa exprimenda, non solum partes animalium viventium acu pungere, & traiicere oportet; quia fieri potest ut vulnus nervum non attingat; verum etiam latius scindere, ac laniare debemus: Et hac ratione, nisi animal torpore langueat, ut super numero accidit, doloris signa videbimus. Quæ duobus Celeberrimi Laghii (2) tentaminibus partim elucentur. Hic Doctus Vir duram Meningem Halleriano more habitu experimento, insensibilem reperit; specillo autem inter illam, & cranium imisso, animal graviter commotum est. Ipse pariter Arteriam Crurarem ligavit, punxit sine sensu; forceps vero sive parte, sive tota dissecta arteria succussions in crure ejusdem lateris excitavit.

4. Secundo animadvertendum est: Quod homo dolores saepe fert absque ullo doloris indicio: Quod me observare contigit in Nosocomio Octobri mense in Muliere 20 annorum, quæ ulcus in crure dextero supra tibiam, & fibulam habebat, quo ulceris Tendo musculi tibiae antici omnino vagina detectus erat, quem Tendinem Rana Egregius in Nosocomio Chirurgus specillo vellicavit sine mulieris perturbatione externa; sed a me interrogata de Tendinis sensu, gravem dolorem sentire affirmabat. Numquid dubitas; quin bruta animalia ex aliquo dolore non concutiantur? quid in contrarium habes?

5. Ad tertium vero quod spectat: Bruta animalia, aut ab aliis prioribus acutissimis doloribus, aut ab aliquo in iis innato mortis timore, ac fugiendi summa cupiditate, concitata sunt; & eorum anima, seu spiritus, seu quidquid in iis vita est causa, obrutum, & infirmum evadit; unde partibus quamquam valde sensibilibus irritatis, ferre dolorem animalia non sentiunt, ideoque Hippocrates aphorismum VI sectionis II scripsit: *Qui aliqua corporis parte dolentes ferè dolorem non sentiant, iis mens agrotat.* His positis venio ad experimenta, & primum ad illa, quæ hanc animadversionem confirmant: His enim Cutis, quæ sensibilis est, insensibilis declaratur.

6. Experimentum I. Publice habitum in Patavina Universitate  
Fe-

(1) Ut vult Hallerus in dissert. de irritab. & sensib.

(2) Epistola ad Cesareum Pozzi.

Februario mense hujus anni ab Excellentissimo, & Solertissimo Publico Anatomiae Incisore Nicolao Mezzavia, qui canis robusti Cutim abscidit in crure anteriori dextero, & in abdomine juxta illius longitudinem, nullis canis succussionibus excitatis. Dum vero eandem a subjacentibus musculis sejungeret, ob majores nervos abscessos, animal moestè ululabat.

7. Exp. II. Cui adfuere Praestantes Medicinæ Doctores Consilii, & Ulmus, nec non Rana. In Nosocomio Martio mense parvi canis cutim supra bicipitis musculum cruris anterioris dexteri, & supra abdomen, & Achillis Tendinem cum nullo canis sensu doloroso incidi.

8. Exp. III. Post aliquot dies domi Doctoris Consilii, aliud parvum canem ad Halleriana tentamina subjeci, qui maximas Cutis incisiones multis in locis factas, non sensit.

9. Exp. IV. In Brixensi Collegio pariter Martio mense cani, qui Pomer vulgo vocatur, iisdem in locis Cutim scidi eodem cum eventu, ut, qui aderant Hyacinthus Salvatorius, Carolus a Magistra, Raymundus Gallina affirmare possunt.

10. Exp. V. Mense Septembri domi meæ, ubi aderant Doctor Bertossius in Physicis rebus Excellens, & Sographius Nosocomii Chirurgus Experientissimus: Canis Pomer Cutim supra Chordam magnam secui, qui nullum doloris, nec sensus indicium dedit.

11. Exp. VI. Eodem mense Doctissimo, ac Nobilissimo Comite Francisco Trento, & Doctore Bertossio adstantibus: Vercoris Cutim supra Achillis Tendinem excidi sine animalis sensu.

12. Exp. VII. Octobri mense, dum aderant Antonius Pujatius Philosophiae, & Medicinæ Doctor, Bertossius, Sographius, & Rana, aliisque studiosi juvenes: In Nosocomio canis molossi Cutim supra utroque Achilleos Tendines nullis sensus signis secui.

13. His postremo alia tria experimenta addam; unum a Praestantissimo Blanco (1) in cane mastino habitum, qui Cutim insensibilem vidit: Alia duo a me instituta, quæ magis soporem, animaque oppressionem animalium; quibus propter experimenta utimur, demonstrant. Canis igitur (experimenti V. 10., & exp. IV. 71.) post Cutis, & Achillis Tendinis vulnera in crure posteriori sinistro, a vinculis solutus per aliquot minuta etiam cum sauciato crure ambulavit, deinde stravit se somno. Tunc ego lapide infernali nervum cruralem posteriorem, & tendinis vaginam, & Tendinem ipsum, atque vulneratam Cutim combussi absque ullo canis sensu: Quod ferme idem accidit cani robusto, quem Novembri mense ad investigandam Tendinis Achillis sensibilitatem supra tabulam vinculis affixi: Canis iste a verberationibus, mortisque timore oppressus, atque externatus ita erat, ut neque Cutis, neque Nervi, neque Musculi, & ten-

---

(1) Lettera stampata in Torino l' anno 1755.

& Tendinis vulnera supra thoracem, & crura nostri sentiret; quae magna admiratione Diligentissimus Doctor Moya Nosocomii Medicus adstans, & Aloysius Calza juvenis Anatomiae, & Medicinae studiosus, & alii viderunt.

14. Quaz cum ita sint, oportet semper aliquarum partium insensibilitatem in animalibus viventibus dubie proferre, dum haec solum hujuscemodi experimentis nitatur. Nihilominus tamen mihi fas erit a meis experimentis aliquid certum deducere; nam haec cum antiquorum, & recentium Auctorum sententiis, atque observationibus convenientur. His itaque animadversis, ordo postulat Pericranii sensibilitatem considerare.

15. Pericranii sensus, jam omnibus Chirurgis, (inter quos Helliodorus (1), Celsus (2), Joannes a Cricce (3), Ambrosius Paracus (4), Joannes Dolaeus (5), Simon Rovhaultius (6), Elias Colius de Vilarsis (7), recensentur,) ob symptomata ab istius contusione, laceratione constanter observata innotuit. Zimmermanus (8) etiam sensibile Pericranium experimentis cognovit: Et solertissimus Lambertus (9) nuper quinque observationibus habitis in hominibus hoc confirmavit.

16. Quorum in fide, judicioque satis mihi spectatis, ut nunc facilis acquiescas; experimenta exponam.

17. Exp. I. In Patavii Nosocomio mense sextili hujus anni maniacus furens 35 annorum fervidi temperamenti detinebatur, qui cum a vinculis solutus esset, caput contra ferrum parieti affixum, ita percussit, ut exinde vulneratus fuerit supra sincipitis os dexterum prope musculum temporalem usque ad Pericranium, quod per octo lineas detectum fuit: Quo vulnera æger resipuit. Cum vulneri mederetur egregius Sographius, ac linteo carpto Pericranium a pure deterget, homo querebatur. Tunc denuo, ille majori diligentia cutim vulneratam evitando, linteo carpto Pericranium tetigit cum magno ægri dolore: Die sequente Pericranium specillo ubique irritavit, & semper infelix homo ingemiscerat. Sic per quattuor dies experimentum Chirurgus renovavit pari cum successu, quo usque Pericranium putre-

(1) Oribasius ex Helliodori libris a Cocceio editis. De vulnera capitis.

(2) L. 8. cap. 4. De Calv. fract. 2. p. 516. (3) Cap. 7. p. 26.

de levi & simplici capit. vulnera &c. (4) L. 9. cap. 16. de

cranii cura part. (5) Encyclopedie Chirurgica ratio: lib. I c. 3.

de capit. contus. & pericranii vulnerat. (6) Traité des plaies

de tête. Chap. 1. p. 7. (7) Cours de Chirurg. &c. T. 3. des

plaies de la tête Chap. 9. p. 222, &c. 234. (8) Dis. §. VII exp.

(9) Lettera del Signor Gio. Michele Lamberti Lettore di Chirurgia

nella Città d' Alessandria &c. La quale contiene diverse osserva-

zioni sopra la sensibilità del Pericranio, e Tendini negli Uomini.

In Alessandria 1756.

putrefactum fuit; cui experimento semper adfuere laudatus Rana, & alii Juvenes, qui ad Chirurgiam practicam descendam Nosocomium petunt.

18. Exp. II. Ronconus in Chirurgicis experimentis clarus, me certiorum fecit, quod sextili mense hujus anni, ob vulnus capitis in homine 42. circiter annorum melancholici temperamenti, omnino Pericranium sub suturæ lambdoideæ angulo detectum fuit. Dum pus ab ipso Pericranio detergebat, homo dolore vexabatur.

19. Exp. III. Junii mense domi meæ in ave, quæ vulgo *bubo* appellatur, Pericranio nudato, vellicationibus, oleo vitrioli, puncturisque irritato, avis semper mestè ululabat.

20. Exp. IV. Sextili mense domi meæ felis juvenis cutim supra sinciput absque ejus notabili succussione incidi. Post aliquot minuta Bertossius specillo leviter Pericranium vellicavit; & felles vix hoc sentire videbatur. Ipsum porro spiritu vini oblinivi, & tunc infelix convulsa jactabatur. Quum vero a convulsione liberata fuit, denuo Pericranium vellicationibus; spiritu vini, puncturisque irritavimus nullis sensus signis. Quare in occipitio aliam Pericranii portionem deteximus, quæ diverse, & variis in locis irritata, semper sensibilis fuit.

21. Exp. V. Novembri mense in Nosocomio parvi canis Pericranium detexi supra sinciput, illudque spiritu vini madefeci ac plures laceravi, & semper canis vehementer jactabatur, atque ululabat; ut viderunt Moya, Bertossius, & Studiosissimus Doctor Ghirus, & Solers Petrus Arduinus, qui maxima patientia, & qua valuit industria preparationem Tendinis Achillis delineavit, atque sculpsit.

22. Quibus ex omnibus intelligitur Pericranium sensu non carere. His ita expositis de Periostio verba facienda sunt, quod inter partes sensibiles locum obtinet.

23. Parceus (1), Bellinus (2), Clopton Hauersius (3), Fayeus (4), Winslowius (5), & fere omnes Chirurgi Periostium sentire affirmant, & ulterius ossibus sensum tribuere, quamvis aliqui Præstantissimi Viri ossibus sensum auferant, cumque solum dentibus ob inseritos nervos concedant.

24. Sed de his clarius tu videbis; ego enim eadem in medium relinquens ad experimenta transeo; unde id, quod potissimum in hoc loco querimus magis elucescat.

25. Exp. I. Canis, quo usus sum (ob exp. III. 8.) Periostium in crure anteriore dextero prope humeri caput, pupugi cum gravissimo animalis dolore.

Part. II.

E e

26. Exp.

(1) *De corpor. humani. Anat. lib. 2. c. 61.* (2) *De morbis capit Dolor in genere c. 359.* (3) *Cap. 3. de periostio c. 27.*  
 (4) *Princip. de Chirur. chap. I. des part. simil.* (5) *T. I. Trasato dell' osse fresche n. 60. Trad. in Ital.*

26. Exp. II. Supradicti bubonis (exp. III. 19.) spiritu vini Periostium in cruribus oblinivi, ac laniavi; quod semper fuit sensibile.

27. His addam, quam dolorosum fuit Periostium tibiæ propter singularem ipsius sectionem a Præclaro Francisco Stella Vicetiz Chirurgo factam in Nobilissimo Comite Thoma Plovenio. Hic Nobilissimus Vir laborabat exostose sine dolore in tibia infra ipsius tuberculum faciei anterioris. Hæc non multum elevata, sed in longitudinem ad sex, aut ad septem transuersos digitos extensa erat: In parte superiori non longe a prædicto tibiæ tuberculo aderat rotundum profundi sinus foramen: Hic sinus perpendiculari linea ferebatur ad magnam ossis tibiæ cavitatem. Hinc ob morbi gravitatem ad visendum Nobilissimum Virum Vicetiam accitus fuit hujus Universitatis Publicus Chirurgiæ Professor, qui una cum prædicto Præclaro Stella, & cum Celebri Joanne Maria Pigato Medico, habito consilio, necessarium existimavit incidenda esse scalpello integumenta per totam exostosis longitudinem, & sejungendum esse Periostium ab ipso osse: Præterea in extrema inferiori exostosis parte terebra perforandum esse integrum os usque ad magnam ossis cavitatem: Postea forcipibus, scalpris, & serratis ferris aperiendum esse os effetum in tota exostosis longitudine, & latitudine, ut omnes substantiae ossis corruptæ eliminentur, & os infirmum exquisitis artis præsidis ad sanationem restituatur. Hæc omnia summa dexteritate, & industria confecta fuere ab Experientissimo Stella, qui singulari hac chirurgiæ operatione Nobilissimo Viro optimam redditit valetudinem.

28. Modo audi, ex Præclaro Stellæ epistola mihi scripta, quantum dolorem passus sit Nobilissimus Vir in ipso Periostio, & hæc sunt verba Stellæ. *Ella mi ricerca, se nell' occasione di separare il Periostio nella persona del Signor Conte Tommaso Piovene, gli sia riuscita sensibile una tale separazione. Tagliati che io ebbi gli integumenti, e scoperto il Periostio, procurai la di lui separazjoæ dall' osso; ma siccome questo s' internava nella sostanza male affetta dell' osso stesso, non mi riesci con le regole ordinarie di conseguire la di lui separazione; cosicchè fui costretto ricorrere alla applicazione del caustico del Vessaiio; e gli riesci molto doloroso, e più di qualunque altra sussegente dolorosa operazionè fatta in esso Cavaliere. (benchè egli sia stato uno de' più sofferenti pazienti, che io m' abbia trovato.) Così pure dolorosa è riuscita la separazione del Periostio in occasione di fare l' amputazione d' una gamba; ed anche nella separazione del Pericranio per qualche ferita di capo; come chiaramente da qualche tempo tal verità bo fatta conoscere alli giovani miei scolari. Se ella desidera maggiori riprove, non mancherò Cc.*

29. Cæterum ut te certiorem faciam de Periosti sensu, ne te pigeat legere epistolam Laurentii Bellini (1) ad Archibaldum Pitcairnum

(1) In secund. part. oper.

carnium de morbo; quo in spina tibiae ipse Bellinus laboravit. Ex ipso intelliges quantum dolorosum illi fuerit tuberculum illud spinæ tibiae, & Periostii, quod corniculum ab ipso appellabatur. Inter alia, quæ in descriptione morbi indicant, & ostendunt dolorem Periostii; scripsit.... Sed si corniculum, sunt verba Bellini, spoliatum per sectionem integumentis, tentari manu, vel instrumentis ab Algbisio permissem; tunc enim vero excitabatur in ipso tam vividus doloris sensus, atque tam acer, ut neque specillum, neque digitum, neque goffipium, nullam denique corniculum tentandi viam admittere potuerim. Quum totam Bellini epistolam de hac re legeris, videbis num irrationalem animalium experimenta testari, & comprobare possint humanum Periostium insensibile esse, ut aliqui contendunt.

30. Noli autem existimare experimentum X. Præstantissimi Castelli contra nostram sententiam esse; nam etsi mulier de Periostii dolore interrogata non querebatur; tamen dolor aderat; ast ab illo majori integumentorum, muscularum, nervorumque, quem mulier valde sensit in pedis sectione, oprimebatur ita dolor iste Periostii, ut eundem mulier ab illis vehementioribus doloribus distinguere nequieverit: In magno enim vulnere, in nervorum punctura, in brachii, crurisque amputatione præcise in parte affecta dolor non sentitur; sed inordinate per totum membrum; unde æger eo tempore Cutis, Tellæ Cellularis, Musculi, Tendinis, Nervi, Periostii, Ossis sensus determinare, atque distinguere nequit.

31. Hæc breviter attigisse satis habui: Nunc de Medullæ sensibilitate videamus.

32. Cum Celeberrimi Verneyi (1) tentamina de Medulla sufficiant ad ejus sensibilitatem evincendam, mea prætermitto. Insignis itaque Vir in Nosocomiis, quum manus, aut medicamenta hominibus admovevi videbat, quibus aut brachium, aut crus amputatum fuerat detectam in iis Medullam violenter tangi jubebat. Quod semper cum ægri dolore erat: Secari jussit etiam os femoris in vivente animali, & osse a carne solerter detecto; quum animal a dolore quievit, specillum in Medullam intrusit, & tunc maximi doloris indicia observavit: Quod experimentum sæpe pari cum eventu renovavit. Præterea, ait ipse, a Medullæ morbis ejus exquisitissimus sensus cognoscitur.

33. Hisce traditis. Experimenta, quæ duræ Meningis sensum ostendunt, hic pono.

34. Exp. I. Aprili mense anni transacti Cranii terebrationi adfui a Celeberrimo quodam Chirurgo institutæ in homine 36. circiter annorum temperamenti fervidi, qui a verberationibus totum finitum ciput

(1) Memor. apart. alla Stor. delle Scienze di Parigi trad. in Ital. T. 2. claf. I. p. 56. Della struttura della Midolla, recit. nell' Acad. li 17. Luglio l' anno 1700.

ciput fractum habebat, a qua fractura auditum, vocemque amiserat. In hac igitur terebratione Chirurgus inopinata duram Meningem modiolo ferrato laceravit; quare æger convulsus statim evasit, adeo ut alter Chirurgus ob muscularum, tendinumque inordinatos motus, vix venam secare vesperæ potuerit.

35. Exp. II. Felis (quæ exp. IV. 20. inservivit.) Cranium terebravi in occipitio; & quum modiolo ferrato ad duram Meningem perveni; succussionibus, atque ululationibus gravissimum dolorem animal patefecit: Quod idem etiam accidit eam vulnerando.

36. Exp. III. Vervecis, cuius domi meæ mense Septembri Cutim incidi supra Achilleum Tendinem, (ob experimentum VI. 11.) Cranium terebravi, cumque sauciarem duram Matrem absque ejus magna laceratione; verex moestos ululatus dedit.

37. Quid autem antiqui Medici de Meningis sensu docuerint, legi potest apud Hippocratem (1), Celsum (2), Paulum Æginetam (3), Joannem Bohnium (4), Baptistam Cortesium (5), Ambrosium Paræum (6), Gabrielem Fallopium (7), Oribasium (8), Paulum Bartettam (9), Rolandum (10), Magatum (11), Franciscum Peccettum (12), Mangetum (13), Brunum (14), Schenkium (15), Baglivium (16), a Motte (17), & apud alios, qui omnes duram Meningem maxime sensilem esse, fateuntur.

38. Præstantissimi Antonii Heidei (18) experimentum quidem non ignoro, qui postquam terebra canis Calvariam perforaverat, forcipe sinum falciformem aperiebat eum in finem, ut symptomata, quæ hujuscemodi læsiones sequuntur, observaret. Hæmorrhagiam sanguine draconis, & linteo carpto brevi sedabat, adeo ut post breve animi deliquium ad se rediret canis, & pane sicco, (licet minus avide) vesceretur, nullis abhinc aliis gravioribus symptomatis corruptus.

### 39. Quo

- (1) *De vuln. capit.* (2) *De fratt. calvar.* c. 4. lib. 8., & lib. eodens cap. 19. *de vulnere dura meningis.* (3) *De arte medendi lib.* 6. c. 270. (4) *De renunciat. vuln. De capit. vuln. letib.*, c. 86. (5) C. 187. (6) Lib. 4. *de mening.* cap. 5. c. 128. (7) T. 2. *de vuln. capit. cum scelli. membr.* Cap. 16. c. 350. (8) *Gracorum Cbirurg. libri Sorani &c. a Coccbio editi,* & conversi, c. 92. *de fissuris* S. 59. (9) *Cap. 2. de partib. capit. intern.* c. 115. *usus* cbirurg. (10) *Cbirurg. lib. 1. de modis, quibus caput vulneratur* cap. 1. (11) *De rara med. vulner.* lib. cap. 19. *De signis læsi. mening.* (12) *De vuln. capit.* lib. 2. *de vuln. dura mening.* c. 11. (13) *Biblio. Cbirurg.* Tom. 4. lib. 18. c. 366. cap. 13. *De vuln.* (14) *Cbirurg. magn.* lib. 1. *de fratt. cran.* cap. 17. (15) Lib. 1. *Obs. med. de dolore capit.* c. 53. (16) *Cap. 5. de compara. motus* cord. & arter. corp. & postu. 5. (17) Tom. 2. *Obs. XXXIV.* (18) *Obs.* 19.

39. Quo experimento duræ Meningis insensibilitas non probatur; sed solum, quod vulneri arte, atque dexteritate facto, illa symptomata non accidunt, quæ, Meninge laniata, sequuntur; ut Cellus (1) de Pericranio notavit.

40. Nec me quidem fugit, quod, dum pus, aut sanguis inter duram, & plam Matrem diù colligitur, illam incidere haud vereantur peritiores Chirurgi, inter quos Glandorpius (2), Blankartus (3), Fallopius (4), Magatus (5), Elias Colius de Vilarsis (6), Petrus Marchettus (7), qui quamvis sectionem proponat, ait tamen, *periculo non carere.*

41. Verum hinc istius membranæ aut parvum sensum, aut insensibilitatem arguere non licet. Nos enim Fallopius docet, tunc Meningis sensum a vapore malo, seu potius ab ejus distensione facta a puris, sanguinisque copia, & qualitate obtundi, atque quasi extingui; quod ipse Fallopius (8) experientia ostendit, ait enim; *Sæpe ad vocatus sum ego ad secundos abscessus in variis locis, & observavi, quod quando feco abscessum, ager nullum, vel parvum sentit inibi dolorem; sed si altera die accedo, & tango cutim illam, acutissimus excisatur dolor.*

42. Ab ejusmodi igitur experimentorum, observationumque genere, non difficile, ut intelligis, mihi fuit duram Meningem sensibilem determinare.

43. Perge nunc mecum ad Cornea sensum perpendendum. Peritiores Chirurgi in oculi, Corneæque inflammationibus collyria cum pulveribus non adhibent, ne Cornea dolorifico sensu irritetur: In hujus porro ulceribus utuntur mitioribus detergentibus, quia experientia norunt ab acutioribus dolorem oriri. His addo, quod in Cornea acerbissimus excitatur dolor, dum a Chirурgo, licet summa dexteritate, sejungitur oculi unguis ab ipsa Cornea: Præterea hæc Cornea sensibilitas clare sequentibus comprobatur experimentis.

44. Exp. I. In speculo me inspicio, pluma ubique oculi mei tum dexteri, tum sinistri Corneam leviter tetigi, & semper moleste sensi.

45. Exp. II. Bertossius hoc in semetipso, pari cum successu perclitatus est.

46. Exp. III. Septembri mense domi meæ dum Bertossius, & Sographius aderant; canis (exp. V. 10.) utriusque oculi Corneam acuti ferri acie leviter vellicavi. Tunc canis oculos velocius claudendo,

(1) Lib. 8. cap. 4. *De calv. fract.* 2. c. 256. (2) *Specul. Chirurg.* obs. 4. (3) *Collecti. Obs.* 27. (4) *T. 2. in lib. Hippo. de vuln.* capit. Cap. 45. ad membra. *abcessus.* (5) *L. 2. cap. 42.*

(6) *Cours de Chirurg.* Tom. 3. *Obs.* 20., & 24.

(7) *Obs. Med. Chirurg. Syloge.* *Obs.* 14. c. 30.

(8) *Tom. 2. de vuln. capis. cum abcess. tunic. Cereb. cap. 15.*

dendo; & corporis totius succussionibus doloris signa perspicue dedit.

47. Exp. IV. Ejusdem vervecis (exp. III. 36.) oculi Corneam eodem modo irritavi, quæ etiam hac vice fuit sensibilis.

48. Exp. V. Septembri mense gallinæ Corneam pupugi, & sensibilem maxime una cum Præclarissimo Comite Trento, & laudato Bertosio observavi, ut diversæ illius concitatæ succussions testari potuere.

49. Exp. VI. Die sequente gallinæ corneam vellicavi, & pupugi cum perspicuis doloris signis.

50. Exp. VII. Canis (exp. VII. 12.) Corneam oculi sinistri cultri extremitate vellicavi cum canis ululatibus. Eandem porro sauciavi cum totius corporis succussionibus, & gravioribus ululatibus.

51. Quæ tentamina naturalem Corneæ sensibilitatem ostendunt. Quod item inter alios ab Ildano (1) animadversum fuit.

52. De acuto autem, & spastico dolore Corneæ, & Iridis pariter testari potest, Egregius juvenis Antonius Bonnus Collegii Somasorum Alumnus, & cum ipso omnes Collegii Alumni, Præceptores, & Rectores. Alumno huic secta fuit Cornea in orbem propter staphiloma a Celebri Joanne Taylоро; a qua sectione operationis tempore ingentes, & spastici dolores excitati fuere, qui deinde incrementum lumfere a scarificationibus secunda die in Iride factis ad vacuefaciendum crystallinum, & vitreum humorem. Spasticos dolores, qui per multos dies secuti sunt, comitabantur frequens vomitus, febris, & inflammatio totius vulnerati oculi, & ipsarum palpebrarum.

53. Petrus Pelliciarius pauper homo, qui hac in Urbe moratur, acerbissimum dolorem, atque convulsionem habuisse in Corneæ sectione affirmat, quæ secta fuit fere per quattuor lineas prope ejus circumferentiam in oculo dextero a quadam hujus Civitatis Celeberrimo Medico, Chirурgoque, ut crystallina lens exiret, quæ inter Iridem, & Corneam, seu in anteriori aquei humoris camera erat.

54. Ultimo proposui de Tendinum sensu sermonem facere, sed antequam ad experimenta progrediamur, oportet hic animadvertere: Quod nervi ingrediuntur Tendines, ut jam Melchior Sebizi (2), & alii a Goelikio (3) citati observavere. Præstantissimus Vinslovius (4) ait, Achillis Tendini ramum nervi ischiatici cruralis interni concedere filamenta; sunt hæc ejus verba. Ce Remeau long se rencontre & s'unit en chemin avec un Reman de la Branche Sciatique externe ou petite Sciatique, donne des Filets de côté & d'autre jusqu'en bas; & après en avoir donné au Tendon d'Acbille, il passe derrière

rc

(1) Obs. 25. Cent. I. c. 30. (2) Exercit. Med. c. 142. editio Argentina 1672.

(3) Differ. de Tendinis structura, & usu. §. XXV.

(4) Exposit. Anatomique &c. T. 3. Traité des nerfs. c. 213. n. 331.

re & fours la Malleole externe. Celeberrimus Laghius (1) nervos ingredi Achillis Tendinem diligenter notavit; ut etiam ego illos videre, & amicis monstrare facile potui. Cujus Tendinis duas præparationes apud me adhuc adservo, & unius iconem in fine epistolæ habebis.

55. De hoc nervorum ingressu aliquid breviter dicere necessarium mihi videtur, ut absque microscopii auxilio hos nervos cultro detegere possis. Nervus itaque ischiaticus cruralis internus, seu nervus popliteus internus una propagatione musculum gastrocnemium ingrediens attribuit ramuscum in alios subdivisum Achillis Tendini in parte postica. Nervus porro ipse ischiaticus internus descendendo, quum ad Tendinis medium pervenit, ibi duos ramos emittit, quorum unusquisque subdivisus in duos alios, partim vaginam contexit, partim eam traijicendo multis ramisculis hic, illicque Tendinis substantiam in ejus parte postica penetrat.

56. Qua de causa Tendo cum omnes nervos, & vaginam habeat, valde sentit, (quidquid de vaginæ insensibilitate Celeberrimus Castellus (2) dicat.) parum vero sentit, dum vagina expoliatur, quia tunc absinduntur omnes nervi, qui eam traijiciunt, solumque remanet ramus ille a gastrocnemio discedens; quia vaginam neque traiicit, neque ei adhæret.

57. Veniam mihi dabis, si diversis rebus abreptus paulisper, sed fortasse non inutiliter, a proposito digressus sum. Nunc igitur statim ad experimenta pergamus.

58. Exp. I. Mense Januario domi meæ parvi muris Achilleum Tendinem cum sua vagina ferri acie pupugi, ex qua punctura convulsio orta fuit.

59. Exp. II. Iisdem ferme diebus muris utrosque Achilleos Tendines cum suis vaginis sauciavi, tum in Tendinum principiis, mediis, & finibus; & semper convulsione animal corripiebatur.

60. Quæ duo experimenta satis probant vaginæ, Tendinisque simul sensum. Modo observationibus in hominibus a me factis in hoc S. Francisci Nosocomio, & experimentis in brutis animalibus Tendinis sensum absque vagina considerare oportet.

61. Observatio I. Augusto mense hujus anni in Nosocomio homo 40. circiter annorum mali corporis habitus morabatur, qui a crassa spina vulnus in cute duos pollices supra calcaneum accepérat. Quo neglecto vulnere, ulcus ortum fuerat, quod Tendinem Achillis ab integumentis, atque vagina, & partim musculum gastrocnemium detexerat. Hoc tempore convenientia remedia adhibita fuere; at nullo iuvamine. Nam in ulceris labiis gangrenæ signa jam apparabant, quæ Chirurgus combussit cum nullo ægri dolore, atque sensu: Eodem tempore Chirurgus periclitari voluit Achillis Tendinis sen-

(1) Epistol. cit. (2) In differt. De sensibili.

*sensibilitatem.* Quare candente ferro ejus principium tetigit; & hoc vehementer sensible fuit, ut ex gravibus hominis gemitibus Sographius, & Rana cognovere. Usto dein Tendinis medio, mitius homo querebatur. Demum prope calcaneum ussit, & ibi parum æger sensit: Cæterum infelix homo decem dierum spatio ob malignam febrem ab ulcere ortam obiit.

62. Observatio II. Octobri mense in homine 32. annorum melancholici temperamenti principium Achillis Tendinis in crure dextero ab ulcere detectum fuit non solum ab integumentis, verum etiam a vagina. Quo Tendine infernali lapide variis in locis usto æger vehementer lamentabatur, ut viderunt Marcus Charburius in Historiæ naturalis, & Anatomiæ studio versatus, & Rana, aliique. Hic ad rem facit etiam observatio in muliere (num. 4.) habita.

63. Observ. III. Homo quidam annorum 50. servidi temperamenti Calendis Decembris ad hoc S. Francisci Nosocomium ob sordidum ulceris in sinistro crure delatus fuit: quod brevi tempore non solum Tendinis vaginam musculi peronæi antici; verum etiam multa illius filamenta corrupti. Hinc laudatus Chirurgus Sographius abscissa substantia corrupta sanam Tendinis substantiam vitrioli oleo tetigit molesto cum ægredi dolore. Postea sex in locis infernali lapide ipsum Tendinem ussit, sed semper cum illius dolore. Altera die idem Chirurgus corruptam Tendinis partem secuit, & volvelli sa- nam Tendinis substantiam constricti, & dolorem excitavit.

64. Observ. IV. In dicto Nosocomio Homo 37. annorum malis corporis habitus ob sordidum ulceris in crure dextero commorabatur. Ulcus in parte cruris posteriori erat, tenebatque totum fere spatium a calcaneo usque ad muscoli gastrocnemii ventrem; ejus autem latitudo quatuor digitorum erat; adeo ut Achillis Tendo integumentis, atque in parte superiori externa exutus vagina (ut microscopii auxilio diligenter vidi.) sequentia observare permiserit. Primo mane supradictus Chirurgus infernali lapide Tendinem denudatum attigit; ex qua lapidis combustione homo vehementi dolore vexabatur. Die secunda volvelli ego ipse fibras Tendinis constricti; & hoc cum ægredi dolore. Die tertia Sographius forcipe aliquot ipsius Tendinis fibras abscedit; & æger acerbissimo dolore excruciat. Quarta die, cum major Tendinis pars denudata esset vagina, candente ferro hanc Chirurgus combussit; & tunc homo statim vehementius ingemiscet, quam in cutis ustione. Haec operatio alias celebrata fuit pari cum effectu. Sexta die Tendinem cultro pugit cum acerbissimo ægredi dolore. Septima die alio in loco recenter vagina detecto ipsum Tendinem attigit cum vehementi hominis dolore. Octava die homo acerbissimis doloribus corripiebatur, dum Tendo candente ferro urebatur. Haec chirurgicæ operationes pro ægrorum valetudine reddenda coram nonnullis Adolescentibus Chirurgiæ studiosis institutaæ fuere.

65. De

65. De expositis observationibus minime dubitandum est, quippe haec in partibus morbo affectis confectæ fuere: Nam partes, quæ in statu sano nervis, & sensu, ut Tendo, juxta Clarissimi Halleri placitum, carent; in morboso statu neutiquam nervos, & sensum adipisci possunt.

66. Quantum autem doloris contingat in Achilis Tendine ob campaginis solutionem, absque ulla præcedenti Tendinis læsione, intelligere poteris ex Joanne Aloysio Petito (1) qui de Tendine sic loquitur. En effet de ce la seul, que le tendon d' acbille est rompu entièrement, il n' arrive aucun accident dans la ropture complete, & de ce la seul, que ce tendon n' est rompu ou casse qu' en partie, il doit nécessairement survenir de fâcheux symptômes: c' est ce que j' as presque toujours remarqué dans la ropture ou coupure incomplete des tendons des autres parties, la douleur, l' inflammation, la fièvre, l' insomnie, le délire, & la gangrenne même, qui y surviennent, quelque fois, rendroient cette maladie presque toujours mortelle; sans les secours, de la Chirurgie.

Des trois personnes, à qui j' ai vu la ropture complete du tendon d' acbille, aucune n' a senti de douleur, rien se rompant ce tendon, ni après se l' être rompu; & les deux ruptures incomplètes rapportées, l' une par Ambroise Paré, l' autre dans ce memoire, ont été très-douleuruses.

67. Ex his manifestum est sectionem Tendinis esse remedium in punctura ex vulnere ipsius Tendinis, (cum ex ipsa graviora exoriantur symptomata.) ut Petitus (1) indicat sequentibus verbis. Dans la rupture incomplete, en quelqu' endroit, que soit le tendon, si la douleur est suivie de fièvre, de délire, d' inflammation, de disposition gangrenense, on fait cesser tous les accidens en occupant la portion du tendon qui étoit restée entière, parce que celle ci étant coupée rien ne résiste à l' autre, tout obéit à l' action du muscle, qui fait la rétraction, & n' y ayant plus de résistance, il n' y a plus de divulsion, par conséquent plus de douleur; & tous les accidens doivent cesser bien-sûr après.

68. Exp. I. Canis (exp. I. 6.) vagina expoliato Tendine bicipitis in prima flexura cruris anterioris dexteri, & cultro varie vulnerato, vix doloris signa vidimus: Puncto quidem ejus musculi Tendine, qui humero adnectitur, jam a vagina solerter nudato, tunc succussionibus animal jaetabatur.

69. Exp. II. Tendinem pariter bicipitis omnino vagina nudavimus canis, (quo usus sum ob exp. II. 7.) dolore sedato, illum cultro pupugi, multasque fibras orizontaliter, & oblique secui. Quibus vulneribus modo canis ululabat, modo non. Nudato postea Achillis

Part. II.

F f

Ten-

(1) *Traité des Malad. des os* T. 2. chap. 15. *De la rupture des tendons*  
c. 320. (2) C. 231.

Tendine cruris posterioris sinistri, atque vulneribus irritato, vehementer animal sentiebat. Idem pericitatus sum in altero Achillis Tendine, qui parum fuit sensibilis.

70. Exp. III. In flexura cruris anterioris sinistri, Tendinem bicruris canis (exp. III. 8.) a vagina detexi, saepe cultro laniavi; & canis fere somniculosus, erat, nullumque doloris indicium dabat: Expoliavi porro Achilleos Tendines integumentis, & vaginis, quarum incisio convulsionis caussa fuit, (ut in aliis experimentis fere semper observavi.) qua sedata, vulneribus modo dexterum, modo sinistrum Tendinem irritavi; & canis modo vehementer ululabat, modo non.

71. Exp. IV. Ejusdem canis, (in quo exp. V. 10. institui.) perfecte cruris posterioris sinistri Chordam magnam nudavi, cuius externam superficiem vitrioli oleo madefeci, & cultrum per aliquot lineas in eam infixi absque ullo doloris signo; at quum cultro profundius Chordam abradebam, canis fortiter ululare, atque se jactare incœpit, quod tentamen saepius pari cum eventu institutum fuit. Chordam autem semiabscissam magna vi distendi cum animalis gravissimo dolore; cuius ratio optime a Garengeotio (1) afferatur.

72. Exp. V. Posteaquam (exp. III. 36.) duram Meningem vervecis sensibilem observavi, illius Achilleum Tendinem cruris posterioris sinistri vagina expoliatum fauciavi, vulnusque vitrioli oleo attigi; quo facto vervex totius corporis succussionibus sentire demonstravit. Totum postea Tendinem scidi cum animalis gravioribus ululatibus.

73. Exp. VI. Canis (exp. VII. 12. ipsis viris jam adstantibus.) Achilleum Tendinem cruris posterioris dexteri a vagina Bertossius perfecte detexit nullis sensus signis. Illum vero fauciavi in parte postica per tres lineas cum canis ululatibus: iterum duobus aliis in locis pupugi sine sensu; at post aliquot minuta vix cultrum in ipsum Tendinem infixi, ac statim canis crus contraxit: Quod experimentum alia vice pari cum successu institui.

74. Exp. VII. Solerter nudavi Achilleum Tendinem cruris posterioris sinistri canis (exp. V. 22.) ac statim illum per longum aperui; post aliquot minuta ipsius Tendinis internam substantiam vellicavi, pupugi, & abscedi; quibus irritationibus animal signa acutissimi doloris perspicue dedit; quare adstantes Viri uno ore Tendinem sensibilem esse, quamvis vagina nudatum, dixerunt.

75. Placet extremo loco Sanctetis Zarini (2) Chirurgi Experiensissimi observationem addere: Hæc sunt illius verba: *Dalla parte posteriore, cioè verso il calcagno pendeva, e stava fuori della ferita una non*

(1) T. 3. art. 1. chap. VII. Des plaies des Tendons c. 262.

(2) Alcune ragioni della cura fatta nella Città di Prato di una ferita nella corda magna. p. 10. Stampata in Luca l'anno 1718.

non picciola porzione di tendine d' Achille, il quale da me più volte tentato per tirarlo fuora, non fu mai possibile per il dolore, che vi si risvegliava.

76. Ex his igitur colligere potes Tendines sentire; quod jam cognitum fuit Hippocrati (1) Galeno (2); qui quamvis videatur lib. 3. de fac. alim. sibi contradicere, ut Brafa volus deceptus est; revera Tendines exquisitissimi sensus ipse Galenus cognovit; quod a Fallopio (3) optime demonstratur: Hoc etiam cognitum fuit Joanni a Vigo (4), Parzo (5), Guidoni Cauliaco (6), Tagaultio (7), Teodorico (8), Peccetto (9), Magato (10), qui ait *Tendo absque periculo traici non potest*. Dolzo (11), Elia Colio de Vilaris (12), Marchetto (13), qui docet non esse secundos Tendines; quia ut idem ait, *ego observavi a quibusdam Barbitonforibus esse consutos, secuta convulsione, & morte patientium*. Heistero (14) demum, Fayeo (15), Garengeotio (16), Boerhaavio, Vansvietenio (17), Arcelio (18), Quennoy (19).

77. Objicere tamen non debes cum Preclarissimo Hallero; quod antiquis Auctoribus de hac re fides danda non sit, cum illi nomina Nervorum, & Chordarum, seu Tendinum confudissent; sed hoc falsum est, ubi præcipue de his rebus illi egerunt: Nam Galenus de Nervorum dissectione verba faciens, istos cum Tendinibus non confudit, & ubi de Tendine agit, hunc a nervo distinguit; & loquens de utilitate particularum, ait, *Chordam de Nervis una cum paniculis confertam esse*. Porro Joannes a Vigo (20) optime distinxit Tendines a Nervis, ait enim. *Tenantes, seu Chorde sunt media inter ligamentum, & Nervum*. Quod confirmatur a Teodorico (21), Tagaultio (22), Cauliaco (23), & Peccetto (24), aliisque. Quare antiquis Auctoribus de hac re fidem præstare potes, quia, optime distinxerunt Tendines a Nervis.

78. De ligamentis vero experimenta, & verba facere inutile existimavi,

- (1) Epid. lib. 5. (2) L. 1. de motu muscul. (3) T. 1. cap. 10.  
c. 150. De part. simil. (4) Pract. aplic. lib. 1. c. 4, & 5.  
(5) De recent. & cruent. singul. part. vuln. l. 10. Femor. & crur.  
vuln. cap. 36. (6) Ars Cbirur. tract. 1. d. 1. De anat. nerv. &  
cbord. cap. 3. (7) Instit. Cbirurg. lib. 2. de vuln. nerv. & tend.  
cap. 13. (8) Cbirurg. lib. 1. de vuln. liga. & cbord. cap. 18.  
(9) L. 2. De vuln. nervo. & tend. cap. 45. (10) De rara med.  
vuln. l. 2. De vuln. in genere l. 1. cap. 59. (11) Encyclope.  
Cbirurg. rat. l. 5. cap. 2. De inflam. (12) T. 3. chap. 8. des  
plaies des tendons c. 209. (13) Obs. cit. Obs. 63. c. 144.  
(14) Instit. Cbirurg. c. 423., & anno 1739. (15) Cbirurg. de  
Dioni. dernier. edition. c. 880. (16) Operat. de Cbirurg. T. 3.  
chap. 7. (17) T. 1. n. 163. (18) Om. Friſ-Kafor c. 261.  
(19) De la suppurat. c. 222. (20 21 22 23 24) Locis citat.

stimavi, dum jam omnes antiqui, atque recentes Auctores hæc insensibilia credunt, inter quos recententur a Cruce (1), de Vigo (2), Paræus (3), Cauliacus (4), Theodoricus (5), Fallopius (6), Pectetus (7), Hieronymus Aquapendes (8) Barbetta (9), Tagaultius (10), Mangettus (11), aliique, quorum nomina brevitatis caussa relinquo.

79. Habet cur nondum satis mihi persuadere potuerim, ut in diversam a recepta sententiam traducar.

80. Profecto excusatum me habebis, si ad ea, quæ a me de experimentis in ranis, & piscibus tanta diligentia, & solertia a Celeberrimo Hallero (12) factis postulavisti, nunc non respondeo. Maturum judicium ab his potius expecta, qui ætate proiecti etiam in arte, atque usu pollent. Solum tibi dicam in Halleri experimentis inter alia, tria me animadvertisse, quæ vere nova mihi fuere.

81. Primum ait Celeberrimus Auctor (13) sanguinem arteriæ, qui intra aneurysma ob imminutum motum concrescit, a vi deinde, & impulsu cordis resolvi. Res fecus se habet; nam concretiones sanguinis duræ, & polyposæ quotidie reperiuntur intra aneurysmata tam hominum viventium, quam vita defunctorum.

82. Secundo (14), sanguinem arteriæ post aneurysma eundem adipisci motum, eandemque velocitatem in arteriæ arteria, quam habebat antequam ingredetur in ipsum aneurysma idem Auctor decernit. Quod est contra' hydraulicas, & hydrostaticas leges, & contra experimenta multis praæsentibus a nobis habita.

83. Tertio (15) tradit; abfciso in ranis corde, & sublato motu sanguinis, ranam vivere, saltare, suosque musculos exercere; ut ego quoque in ranis observavi. Ab hoc experimento arguit laudatus Hallerus,

- (1) *De præsag. mod. in nervis sauciatis. cap. 5. c. 81.* (2) *L. c. I. 5. De ligamentis.* (3) *Specialior inquisit. in par. muscul. quamlibet cap. 10. c. 73.*, *O' lib. 5. De muscul. osi. O'c. anato. De cervi: O' partib. ipsius cap. 16. c. 135. O' de ligament. vuln. cap. 40. c. 322.* (4) *Tract. I. doc. I. de anat. nervor. O' ligament. O'c. cap. 3.* (5) *L. I. De vuln. ligament. O'c. cap. 18.*  
 (6) *T. I. De cartilag. O'c. cap. 5. c. 133. O' cap. 9.*  
 (7) *L. 2. De vuln. nervor. prognostico cap. 45. O' cap. 51.*  
 (8) *L. 2. De vulner. cap. 12. de vuln. ligament. c. 97.*  
 (9) *Pars tert. anat. prati. cap. 5. de ligament. c. 25.*  
 (10) *L. 2. De vuln. nerv. tend. O' ligament. cap. 13.*  
 (11) *Tom. 4. vuln. cap. 12. de vuln. ligament.* (12) *Deux mémoires sur le mouvement du sang. O'c. à Lusanne 1756.*  
 (13) *Du mouv. du sang. arteriel. chap. 3. c. 55.* (14) *Capit. 3. c. 55., O' 56.* (15) *De causes du mouv. du Coeur. Chap. 6. c. 163.*

Hallerus, muscularum motum sine arteriarum concursu, & sanguinis auxilio a solis nervis haberi. Hanc universalem conclusionem falsam ostendunt horum animalium natura ab humana tam diversa, nec non experimenta Stenonis, Gasp. Bartholini (1), & ea quæ & Bononiæ, & Venetiis, & Patavii ab incomparabili nostro Morgagnio, qui jure, ac merito Anatomicorum Princeps appellatur, sœpius instituta fuere.

84. In experimentis Celeberrimi Morgagnii (2), devicta, aut compressa arteria in canibus, ovibus, aliisque similibus viventibus animalibus, illico cessat omnis muscularum motus in cruribus posterioribus: soluta, & libera reddit a arteria, protinus muscularis crurum amissus redditur motus.

85. Cæterum Halleri experimentum superius allatum novum non est; hoc enim confectum jam fuit ab Olingerio Jacobæo (3). Hic ranas post ablatum cor integras horas vivere in aquis discursantes videt; quod testantur Boyleæus (4), & Gasp. Bartholinus (5). In aliis animalibus accidere asserit Franciscus Redius, nempe in vipera (6), & in pisce torpedine (7), qui per tres horas continuas, demto corde, non desit manifestare evidentissima signa motus, & sensus, quibus ultimo cauda destituebatur, & aliam torpedinem ante multas horas mortuam, & frigore constrictam mouere caudam vidisse testatur. Similia Phænomena egomet anatomica sectione in sex lacertis confixi. Id tamen mirum non est, quoniam lumbrici terrestres, ut sæpe expertus sum, per menses & menses sine capite, & corde vivunt, & moventur; imo partes abscissæ feruminantur, & consolidantur, nec non abscissas scolopendrias per dies moveri progressivo motu, ut etiam cochleas nudas observavi.

86. Si aliquid imposterum de his adnotabo, tibi scribam: Achil- liis Tendinis iconem subjicio, ut αὐτοψία nervosas ejus propagatio- nes videoas. Vale, &

*Qua potes excusa, nec amici desere causam,*

Nam

· · · · · ἐγὼν ἐρέων ως μοὶ δοκεῖ εἶναι ἅριστα.

Quam optima mihi visa sunt, dixi.

TA-

(1) *De nerv. usu in motu muscul.* Epistola ad Olingerum Jacobæum, qua extat in fine ejus observ. de ranis. Parisiis 1682. c. 102. (2) *Adver- saria Anat. II. Animadversio VIII.* c. 19. (3) *Obser. de ranis.* Cap. 3. *Anat. ranarum*, c. 34. (4) *Exercitationes circa utilitatem philo- physie naturalis; experimentalis proposita a Roberto Boyle Genève 1654.* Pars 2. exercitatio 1. c. 113. §. 22. (5) *Epist. citat.* c. 89. (6) *Lett. sopra alcune opposizioni fatte alle sue osserv. intorno alle vipere.* T. 2. p. 77. Venez. 1711. (7) *T. 2. p. 43. Esp. intorno a cose naturali,*

# TABULÆ EXPLICATIO

Pars posterior Tendinis Achillis cruris sinistri hominis  
exprimitur.

**P**ortio musculi gastrocnemii. 2. Portio musculi solai 3. 3. Tendo Achillis. 4. 4. Ejus vagina deducta, ut videantur nervi. 5. 5 Nervus ischiaticus cruralis internus. 6 ejus ramus musculum gastrocnemium ingrediens. 7. 7. 7. 7. alii ejusdem nervi rami. 8 Nervus, qui ut apparet, partem musculi gastrocnemii abscindere opus fuit. 9 istius unus ramus dexter. 10 ramuscus, qui dat Tendini 11 duo filaments nerva. 12 Ramuscus alter, qui duobus filamentis 13 pariter intrat Tendinem. 14. 14 Ramus sinister nervi 9 concedens Tendinis substantia duo ramuscus 15. Hic 16 a nervo ischiatico egrediuntur duo rami, quorum ramus 17 in alios subdivisus vaginam conseruit, unoque nervo filamento unitar cum 18 ramusculo nervi 19 qui dividitur in tres ramos, quorum unus 20 in 21 duos ramuscus facit, nempe 22, qui sex filamentis 23. 24 penetrat Tendinem. 25. est secundus ramus concedens Tendini quinque nervosa filamenta 26. Secundus ramus 27 nervi 19, qui solum simplici divisione permeat Tendinem in 28. Tertius ramus 29 nervi pariter 19, qui primo dividitur in 30, emittebat quattuor ramuscus 31, qui intrant Tendinem. Secundo dividitur in 32, a quo quattuor filaments excutunt Tendinem etiam ista ingredientia.

Dabam Patavii 5. Id. Decembr. 1756.

DE